

IOELIS

# Prophetæ vaticinium.


E T

CHALDÆA EIVS PARAPHRAS  
is utenus ab Hebreo differt, cum cōmentariis trium  
Rabiorum Selomonis Iarbij, Abrahami Abben ex-  
audiens Kimbij.

C. Genebrardo Benedict. interprete.

auctarij loco enarratio eiusdem Interpretis è nostrorum  
riptis accepit.

Ad castianum Albaspineum episcopum Lemouicensem.



P A R I S I S,

Apud Martinum Iuuenem, sub insigni D. Christophori,  
è regione gymnaſij Cameraceniū.

1 5 6 3.

IOELIS



# Prophetæ vaticinium.

ET  
CHALDÆA EIVS PARAPHRAS  
sis quatenus ab Hebræo differt, cum cōmentariis trium  
Rabbinorum Selomonis Iarhij, Abrahami Abben ez-  
ra, Dauidis Kimbij.

G. Genebrardo Benedict. interprete.

His auctarij loco enarratio eiusdem Interpretis è nostrorum  
scriptis accepit.

Ad Sebastianum Albaspineum episcopum Lemouicensem;



P A R I S I S,

Apud Martinum Iuuenem, sub insigni D. Christophori,  
è regione gymnasij Cameracensium.

1 5 6 3.

3

SEBASTIANO ALBASPL  
neo Episcopo Lemouicési, abbati Mosace-  
no, &c. G. Genebrardus Bened. S.

**V**PERIORIBVS mensibus  
ego fugitans diram pestis luem, que  
Lutetiā Parisiorum latè peruaferat,  
& te, praful amplissime, aliquo offi-  
cio demereri cupiens, ad Ioēlē, Chal-  
dæos, Hebræosq; eius interpretes in  
Latinum conuertendos animum adiunxi meum. Ex his e-  
nim, quæ inter nos quotidie vltra citróque de te refereban-  
tur, laborem illum tibi, qui diuina oracula libenter accipis,  
non iniucūdum fore satis cōprehensum habebam. Eóq; ma-  
gis, quòd vulgatam D. Hieronymi versionem, quoad lice-  
ret per veritatem Hebraïcam, à qua nō multum disidere  
ille solet, si res proprius inspiciatur, potius retinere, q; de inte-  
gro nouā condere eò cōstituerem, ut quisq; ad suæ antiquæ  
editionis interpretationem se vocari lataretur. Qua in re  
clarissimum habui M. Antonij Flaminij doctiss. viri ex-  
emplum, qui cùm eloquentissimè psalmos cōuertere potuif-  
set: tamē paucis immutatis quæ corrupta erant, aut defen-  
di nō poterat, ad veterē Septuag. interpretū versionē, ve-  
nerandæ antiquitatis studio, sua cōmentaria tēperare ma-  
luit. Accedebat ex recēti memoria me in hunc plurima de-  
promere posse, quæ nō ita pridē cum aliquot viris Hebraï-  
cæ linguæ studiosis de superiori loco cōmunicauerā. Nam  
quæ priuatis studiis, laboribus, vigiliis, atque etiā eruditio-  
rum hominū congregacionibus cōsecutus sum, id verò lubēs

in apertū profero, nec nostris Christianæ ecclesiæ ciuib⁹, ad quos ad Christi agnitionem prouehendos, meas omnes cogitationes ardens cōtulerim, inuidere unquā soleo. Quare dum maiora molior (quamquam quid diuino vate maius dic̄i pos̄it, equidem nescio) lucubrationem hāc tua fortassis magnitudine inferiorem, sed tamen ecclesiastico pontifici accommodatissimam humanissimè accipies, & tui Gilberti studiis patrocinabere. Vale.

VITA IOELIS EX LIBRO IO-  
achimi Perionij Bened. de vitis rebusque gestis  
prophetarum Dei: qui, Deo iuuante,  
aliquando edetur.

IOEL propheta, is, vt ait Epiphanius, Bethorius erat, ex tribu Rubenia, natus autem Phatuēle patre. Ex libro prophetiæ eius non cōstat, quo quibusve regibus vaticinatus sit, aut vixerit. Hieronymus autem scribit eum vaticinatum esse iisdem regibus, quibus Osee, id est, Ozia, Ioatham, Achaz, & Ezechia; idemque vult omnia quæ prædictis, ad regnum Iudæ & Hierosolymam tantum, non ad Israëlem pertinere. Quamquam multa de aduentu Spiritus sancti ad Apostolos, vel Petro ipso interrete, dixit, multa de pœnitentia, quam in suis Deus desiderat. In patria porrò honorifice, vt ait Epiphanius, sepultus est.

IOEL PROPHETA  
CVM COMMENTARIIS  
Chald. & Hebraicis, interprete  
G. Genebrardo.

1 Verbum domini quod Chald. Sermo prophæfactum est ad Ioel filiu Pha ticus à conspectu do-thuēl.

2 Audite hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ, Si factū est istud diebus vestris, aut diebus patrum vestrorum?

3 Hoc filius vestris narrate, & filii vestri filiis suis, & filii eorum generationi alteri.

Ioel vaticinatus est aduersum duas tribus, ut tota pro Auctariū. phetiæ series, maximè epilogus indicat: ac earum cladem, quā primū à rege Nabugdonozore, deinde ab eius militiæ principe Nabuzardane acceperunt, ut historia Reg. 24. et 25. gum meminit, inuolucro locustarum varie narrat. Post 2. Paral. 36. èa ut morem prophetarum, qui acerba dulcibus tēperant, seruer: subiicit amplissimas promissiones de futuro Semine huiusque beneficio prædictis calamitates superiorum temporum cum summo rerum successu commutandas, mitten-dūmque spiritum sanctū, qui animos populi agnitione dei illustret, & dilectione accendat. Denique non impunè laturos eos qui populum domini miseradis modis affixerint. Qua occasione iudicium domini eleganter sub libri finem describitur.

1 Ad Ioel filium Phathuēl.) filium Samuēlis prophæ-

Selomo Ia-  
ta, rhius.

1.Reg.8.  
7 tæ, qui inflexit deum oratione sua (Pbatuël enim sonat fle  
xideum). Sunt qui putēt prophetiam hanc pertinere ad il-  
los annos septem, de quibus dixit Eliseus, Vocavit domi-  
nus famem, & veniet super terrā annis septem. ac illi qui-  
dem in tempora Ioramī Achabi filij inciderunt. Cæterū  
in libro, qui inscribitur Lectiones magna, inueniuntur  
hæc verba: Ioël, Nahumus, & Habacuc fuerunt diebus  
Menassis.

2 An factum est istud.) quod aliquantò post dicitur,  
vers.4. Residuum erucæ absumpsi bruchus, & quæ sequuntur.  
Abbé ezya 1 Nullam rationem inire possumus, qua habeamus per-  
\*Contra supe- spectam etatem huius, \*nec est filius Samuélis iuxta sim-  
riorē & abbinū plicem scriptura sensum. Scito autem prophetam omnem,  
qui commemorat nomen patris sui, nobilem ex illo fuisse,  
quòd si præterea auum habuerit clarum & celebre, utrius  
que mentionem facere, ut, verbum domini quod factum est  
ad Sephoniam filium Chus, filij Gedalię, filij Amarię, fi-  
lii Ezechia, quoisque peruentum ad clarissimum, nempe  
Ezechiam regem.

2 Audite.) Propheta hic vaticinatur de locusta quæ  
ventura erat perditū terram. Diebus quidem Mosis fuit  
genus locustæ unicū, sed nunc cum locusta eruca, bruchus,  
& robigo, tres videlicet locustarū species prohibitæ. Me-  
minit verò seniorum, quia subiiciebat: Si factum est i-  
stud diebus vestris.

3 Hoc.) Ex hoc versu intelligimus γενετονέ σει  
etatem non esse numerum notum.

David Kj mbi. 1 Verbū domini, quod factum est ad Ioëlem.)  
Vates hic initio vaticinatur de locusta quam immisurus  
erat

erat Deus benedicēdus in terram Israēlis ob ipsius sceleræ  
Postea contexit prophetam eorum, quæ futura sunt tem-  
poribus Christi. Sunt qui eum existiment prædicere quòd  
diebus Ioramī filij Achabi futura sit famæ in terra, ut di- 4.Re.8.ver.12  
ctum est, Vocavit dominus famem, quæ etiam venit in  
terram per septennium. Quatuor scilicet annis depopula-  
ta sunt terram quatuor locustarū genera, & tribus reliquis  
retē & sunt pluviæ. Porro in \*chronologia nostrorum vari-  
cinatus dicitur diebus Menassis. Ioël, Nahumus, Haba-  
cuc vaticinum habuerunt archonte Menasse. Quia ve-  
rò Menasses non erat rectus coram domino, ideo ne nomi-  
nis quidem ipsius fecere mentionem.

2 Audite hoc senes.) Illi enim longè plura diebus antē  
lapsis videre & obseruare potuerunt, iuxta illud: Interro- Deu.33.ver.7  
ga senes tuos & dicent tibi. Si factū est, in hoc loco est no-  
ta interrogādi, An, utrum. aut diebus patrum vestro-  
rum. Locusta enim quæ immissa est in Agyptum erat  
vnius speciei. Et quāquam dixit David in libro psalmo-  
rum, Dedit eruca prouentum eorum. Et alibi, Bruchus cu psa.78.ver.46  
ius non erat numerus: tamen locusta princeps erat, duo ve psa.105.ver.34  
rò illa genera accesserāt, propterea quæ non nisi locusta men-  
tio habita est in lege. Deinde hoc non nisi uno eodemque exo.10.ver.14  
tempore accidit. at qui ista fuit quatuor specierum, bruchi,  
locusta, eruca, robiginis, quæ præterea grassatæ sunt qua-  
tuor annis sese per ordinem consequentibus, ut significat  
Residuum erucae, &c. quod mali non ad hoc usque tem- versu.48  
pus contigerat.

3 Hoc.) hoc decretum. Generationi alteri. Filiis qui  
post illos venturi sunt: quasi dicat, In tempus longinquum  
istam

istam sententiam denarrare poteritis.

4 Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, residuum verò bruchi comedit robigo.

5 Ex ergescimini ebrij, fle Chal. c Super vino mete & ululate omnes qui bibitis vinum, super musto, quoniam periit ab ore vestro.

Auctarii. 4 Propositio generalis eorum quæ hoc & sequenti capite descripturus est. Ceterum hoc locustarū inuolucro exercitum Chaldæorum, qui terram Iudæ vastatus erat intelligit, ut perspici potest ex secundo capite: ubi in calamatum harum redditionibus: Et eum, inquit, qui ab Aquilone est procul, summoebō à vobis, & expellam eum in terram inuiam & desertam. Chaldæū periphrasticās exprimens, ut & posteā Ieremias de eodem loquens: Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ huius. Quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regnum Aquilonis, ait dominus, & venient, & ponent solium suum in introitu portarum Hierusalem & reliqua, quæ ad alium neminem pertinere possunt, quām Nabugdonozorem regem Chaldæorum. D. Hieronymus hæc latius pandit, ut quodlibet harum bestiolarum genus monachiam unam signet, primum Aſyriorum, secundum Chaldaorum & Medorum, tertium Macedorum seu posteriorum Alexandi, ut Antiochi, Epiphanis, postremum Romanorum: qui omnes misericordis populum Iudaicum oppugna-

b Hæ bestiolæ in Hebraeo & Chaldæo sunt nocētissimarum locustarum genera.

### CVM COMMENT.

oppugnarunt. Lyranus hæc putat iuxta literam ita contingisse, ut præterea adumbrarent grauiorem illam calamitatem, quam illatus erat Nabugdonozor. Ionathan paraphrastes Chaldæus magis accedere videtur ad B. Hieronymi sententiam. Is enim capite secundo pro locustis vertit potentatus & imperia. Hebræi diram famem ex corrosione locustarum prænunciari scribunt. Ut ut sit, hæc descriptio non nisi grauiissimæ alicuius afflictionis præfigiū esse potest. Versionis autem nostræ causa est hæc. וְאַתָּה locusta est repes, noxia frugibus. Chaldæus enim vertit כָּנָר, quo nomine & Talmuditæ & Rabbini pro quolibet reptili uti solet אַתָּה irrepsit. Eruca Latinis talis est. ארבה quam locustam vertimus, non est ei quæ apud nos est, omnino similis, sed qualē describit Plinius lib. II. ca. 29. cuius eſus est naturæ nostræ consentaneus, Leuit. II. & Matt. III. כָּנָר locusta volas, volitat enim per stirpes ut papilio, Nah. 3. & proinde Chaldæis dicitur פְּרֹחָא. Nā volare est. Hebræi deduxerūt אַתָּה lambit. Rectè vertitur bruchus seu βενχος, hoc enim animal noxiū est frugibus, in quas volitat, & nomen propterea habet παρεγγέλλει βενχειν οὐδείσι. Postremum genus appellatur בְּרִכָּה, Latinè reddi non potest. Nam quod vertut Reginem, non ita quadrat, cum hoc nomen propriè sit vitium frugum, non locustarum genus, & constet ex 8. cap. 3 Reg. speciem esse locustæ, qualis fortasse vulgo hanneron.

4 species locustarum sunt, ac eas Selomo Ia prædicit grassaturas. Et certè illis temporibus grassatae sunt rhizas. atque consumperunt omnes fructus arborum virorēaque agrorum. Musto. Heb. עַמְסִים vinum generosum significat. vers. 5

*Abbé Ezra* 4 Residuum erucæ.) quæ primūm grassata est. R. Iaphet scribit dici נָזְבֵן quasi τονδες: ut sit formatiuum verbalis, quemadmodum in חַנְתָּה gratis, רִיקָם inaniter, et קָלָקָל quia lambit lingua sua. לְחַסְיָל autem exponiture excindens, ut in Deuteronomio יְחַסְלֶנּוּ excindet eum.

5 Expergiscimini.) Heb. הַקִּצּוֹן verbum est neutrum, nec hic significatus inuenitur transitius.

Musto.) Heb. דִּסְמָע ex deriuatione verbi quod occurrit in Malachia וְעַסְתָּה conculcabitis impios. Nimirum quia pedibus calcatur et exprimitur.

*David Ki* 4 Residuum erucæ.) Quod reliquit eruca anno pri-mhi. mo absumpsit locusta anno sequenti. Non enim quatuor hæc examina uno anno eodemque venerunt, sed aliud ab Inf. c. 2. ve. 25 alio per quadriennium, et ita dicet: Rependam vobis annos quos consumpsit locusta. Porro sunt qui dicant נָזְבֵן, ex eo accepisse nomen quod fruges detondeat, et quod inter reliqua genera copiosissima sit. לְחַסְיָל autem quia lambit & lingit herbam, לְחַסְיָל vero quoniam excindit omnia, ex, מְלָנָה abscondet eum locusta.

5 Expergiscimini ebrij.) Vos qui soletis vino inebriari, iam excitamini è somno vestro, et die nocte que flete, si quidem non reperturi estis vinum, locusta enim absumet botros. Musto. Heb. עַסְמָם, hoc nomine appellatur vinum, omnis similiter potus qui elicitur copressione et calcatione, ex, וְעַסְתָּה calcabitis impios. Ionathan trasfert vi-num merum.

6 Gens enim ascendit super terram meam fortis & innumerabilis: dentes eius Chal. Sicut d<sup>r</sup> catuli leonis. Sic nos ter interpretes, ut intelligatur leo iuuen-dentes

dentes leonis, & molares eius, ut d<sup>r</sup> leonis grandioris.

7 Posuit vineā meam in desertum, & ficū meam in corticem: nudans spoliauit eam & proiecit, albi facti sunt rami eius.

Pergit in descriptione aduentus locustarum, quas tan-Auctariū. quam agmen aliquod validissimum proponit, eisque tribuit quæcumque de exercitu optimè instructo dici possent. Hoc pacto loquitur et de apibus Maro 4. Georgic.

Magnanimosque duces totiusque ex ordine gentis Mores et studia et populos et prelia dicam.

Sunt autem verba hæc prophetæ deploratis calamitatem gentis suæ. Non desunt qui hæc esse verba domini existiment. Terram Iudeæ allegoricōs ut Esa. 5. vineam, ficum appellat. Ceterū tale agmen locustarum anno domini 1542. Germaniam et Italianam infestasse à nostris historiis scribitur.

6 Gens ascendiit super terram meam.) De locusta. R. Selomorum examine loquitur ut exercitu Gentium. Ceterū טהלוות seu molares sunt dētes crañores quibus māditur.

7 In corticē.) Heb. לְקַצְפָּה in animæ efflationem. Denudando denudauit eam. Detrahendo corticem eius, deiecitque eam, donec albi facti sunt palmites vineæ.

7 Posuit.) Id quod futurum erat, narrat in præterito. Abbé Ezra In corticem. Heb. נְפַצֵּל ut in Osea נְפַצֵּל, Sicut spuma aut floccus in facie aquæ, in quo scilicet nulla est soliditas. Spoliauit eam, quia exuit eam cortice. Albi facti sunt

sunt הַלְּבִזָּן verbum est intransituum, ut suprà תְּקִין  
Experciscimi.

*Kimhi.* 6 Gens.) Quius animantium grex vocatur gens, &  
proinde de locusta inquit, Gens ascendit: & sic dicitur  
pro.30.ver.15 de formicis: Populus non robustus. & de cuniculis: Natio  
non robusta. Dentes eius dentes leonis. quasi diceret,  
sunt illi dentes velut dentes leonis. Et molares leonis  
grandioris. Heb. מִתְהֻלָּה sunt dentes crassiores & לְבִזָּן  
leo grandior ipso, quem vocamus אֶרְעָה. Ionathan tamen ita  
reddidit, Dentes eius sicut dentes leonum, & molares eius  
tanquam catuli leonis. At ecce Iob repugnat: Et catuli, in-  
quit, לְבִזָּן (leonis iam grandæui) diuiduntur. Vides לְבִזָּן  
non dici de iuniore.

Iob.4.

7 Posuit vineam meam in desertum.) Præteritum  
futuri vice, aut explicatio ita habebit, dicet incola terræ  
ubi venerit locusta: Posuit vineam meā in vastitatē,  
& sic Quia gens ascēdit super terrā meam, quod iā  
posuit, Et ficū meam in corticē. omnia verò hæc prono-  
mina sunt verba habitatoris terræ, aut etiam prophetæ, ut  
intellexit Chaldaeus his verbis, Posuit vineas populi mei  
in desolationem. Et expositio eius quod dixit פְּצַחַד est in  
iram, & indignationem, atque maledictionem. Ionathan  
autem vertit in efflationem animæ. Sunt etiam qui expli-  
Ose.10.ver.7 cent In decorticationem: quo sensu exponunt illud Oseæ,

הַקְּצָבָה Sicut cortex in facie aquarum. Significat locustam  
detracturam corticē, quia eum arrodet. Denudans spo-  
liauit eam. Relatiuum hoc & ad ficum & ad vineam  
refertur. & sic Albi facti sunt rami eius. Cæterū Spo-  
liauit eam, id est, retexit eam: quasi dicat, detraxit corti-

cem

cem eius. Et ita explicauit Ionathan, Decorticādo decor-  
ticauit eam, & proiecit, &c. Proiecit, corticem scilicet, in  
terram, ubi defuxit humorem, qui inter corticem & arbo-  
rem erat. Aut, Spoliauit eam & proiecit, refertur ad  
frondes quas arrofit, & vuam quam in terram deiecit, ut  
ipsa nuda retectāq; esset. Albi facti sunt. Postquā enim  
fuxit humorē locusta, relinquuntur palmites aridi & can-  
dicantes. Porrò verbum חַלְבֵּנו which quod hic extat, neutrum  
est, ut alio loco, tanquam nix חַלְבֵּנו dealbabuntur.

Esa.1.ver.18.

8 Plangef quasi virgo ac- Chal. Ede f planctum ô  
cincta sacco super virū pu- ecclesia Israëlis sicut vir  
bertatis suæ. go, &c. ad lugēdum ma-  
ritum, &c.

9 Periit sacrificium & liba- Chal. Qui s ministrant  
tio de domo domini, luxe- in sanctuario domini.  
runt sacerdotes & ministri Chald. Direpta h sunt-  
domini.

10 Depopulata h est regio, arua, desolata est terra,  
luxit humus: quoniam de- quia consumptū est fru-  
uastatum est triticum, con- mentum, aruerūt vites,  
fusum est mustū, & elāguit fluxerunt (foliis) olinæ.  
oleum.

11 Confundimini i agrico- Vel, Confusi sunt agri-  
læ, vlulate vinitores super colæ, vularunt, &c. Sic  
frumento & hordeo, quia periit missis agri.

12 Vinea confusa k est, & Chal. k Aruit.  
ficus elanguit, malogranata, palma, & malus, &  
omnes arbores agri aruerunt, quia l confusum est  
gaudium à filiis hominū. Chald. l Desir.

9 Sacrificium istud cuius meminit, conficiebatur è simi- Auctariū.

la & cum oleo ac melle frigebatur in sartagine, ut habes Leuitici sexto: & proinde nonnulli illud appellat cibarium, aliij munus dapale aut cereale. Libamen autem, seu, ut trans tulerunt Septuaginta, ἀνδρὶ εἰνοῦ vino vel sicera, Numerorum 28. & 29. Vtriusque materiam à locusta consumptam deplorat Ioel, quasi nihil supersit, inquit, quo ὁ ecclesia Israëlica, gratitudinem tuam domino testari posis. Abben Esra refert ad ebriosos quos suprà alloquebatur, Si vinum non satis sit libando, qua tandem ratione illud vestro genio comparabitis?

12. Elegant tropo confusum dicitur gaudium ab hominibus, quasi inter homines comparere ipsum pudeat, quod ini ri solet tempore prospero & rebus omnibus affluent.

R. Selomo. 8. Plange.) Hebreum, לְאֵה hoc significat, cum præser tim lamentationem soleamus Chaldaicè appellare אַיִלָּא.

9. Periit.) idem quod נִכְרָת הַכְּרָתָה est, He affe Job. 5. ver. 25. elo hateph caméts posito pro Nun, ut in Iob bestia agri חַלְשָׁנָה pacata fuerit tibi.

11. Confundimini.) Erubescite. Agricolæ, qui duces estis arationis. Super frumento & hordeo. Regreditur ad agricolas, de vinitoribus vero subiicit,

12. Vinea confusa est, Elanguit.) succisa est, desinente fructu eius. Confusum est. idem quod aruit.

Abbæ Ezra 8. Plange.) dico, Væ mihi (nam, לְאֵה, quo verbo utitur Ioel, fluxisse videtur ab אַלְלָא vae) Iaphet autem scribit & positum pron, ut לְאֵה dictum sit quasi אַלְלָא eiula, quod non est consentaneum. Si dixisset & substitutum in vicem Iod vocis תְּלַלְלָא eiulatio, id sanè fuisset accommodatus. Propheta autem cùm ait Plange, alloquitur terram ipsam, aut

aut etiam suam ipsius animam. Quasi virgo, cuius maritus cui adolescentula nupsit, diebus latitiae suæ vita funeris est.

9. Periit.) Verbum hoc loco genere non coenit cum suo nominativo, ut in Numeris: quia מִנְחָה aqua fluxus non Num. 19. ve. 13. רִיחָן effusa est super eam. Sensus est, ut alloquens ebrios, Quomodo, inquit, inuenturi estis vinū, cùm ecce excisum sit sacrificium & libamen, quæ ex officio Republica deo debet pendere. Meminit autem sacrificij Minhá, siue cerealis, propterea quod vastatum dicitur frumentum, sed & quod libatur, nisi sit quod moretur.

10. Luxit humus.) luxerunt habitatores eius.

11. Agricolæ.) אֲבָרָם concretum nomen cum אֶשְׁר radicali, nec in forma ullum aliud sibi simile habet.

12. Vinea confusa est.) Figurata locutio, cuiusmodi etiam Confusum est gaudium.

8. Plange.) Apostrophe ad ecclesiam Israëlicam, lamente huius mali causa, & luctum ingentem ede: Quasi virgo, quæ iuueni deponata est, qui ea adhuc puella moritur. Tum enim utrinque gaudium vehementissimum est, cùm contrà eo paulo post mortuo grauissimo fletu lugeat, succingatque saccum monilis & ornatus loco. Porro, לְאֵה idem quod lamentare: sic Jonathan verit, Et lamentatus 2. sa. 3. ver. 33. est rex. אַלְלָא & planxit rex. Succincta sacco. Hoc verbo utuntur & in actiuo & in passiuo pro eodem. dicitur succinges (saccum) & præterea succinctus (saccum) sic induitus (vestem) & induens (vestem).

9. Periit sacrificium.) הַכְּרָת dixit genere masculine & נִמְרָע genus feminine. Nimirū genus masculine refertur ad sensum,

*sum, perinde atque si dixisset, Succisa est oblatio sacrificij  
Levit. 11. v. 32. & libaminis, & sic, in quo מִלְאָכָה יְשֻׁחַן fiet opus, rursum,  
Exo. 31. v. 15. fiet operatio. Est autem חֲבֵרוֹת coniugationis bophal, quia  
locusta istud succidit. Si ergo, inquit, ab illis defecit frumen-  
tum & mustum, ex quoniam tandem afferent dapale mu-  
nus & libamen in eadem sanctuarij, quum nihil ipsis supe-  
ret quod aut edant aut bibant?*

10 Luxit humus.) Corrupta est & vastata, quod in ea  
nulli sint fructus, qua in formula Esaias, luxit mustu. Cō-  
fusum est mustum. חַוְבִּיט aruit, estque verbum neu-  
trum, quo certe sensu translatis Ionathan, Aruerunt vites.  
aut erit de significatione cōfusionis: ac id dicet figuratè at-  
que si musto, quū defecerit, ineſſet pudor. Elanguit, נִטְלָה  
propriè significat excisionem. Meminit autem frumenti,  
musti, & olei, quod his tribus maximè humana vita con-  
ſtet & nutriatur.

\*potest esse et 11 Confundimini.) חַוְבִּיט imperatiuus est, itidem  
præteritum, ut noster iterpres חַיְלָוְתִּי eiulate, ait autem Confundimini, quoniam  
intellexit. aequū est ut ex eo erubescatis quod opera vestra labórumque  
vester, quē agris impendisti, irrigatus est. Agricolæ, אֲכָרִים  
sunt hi qui agros colunt, כּוֹרְטִים qui vineas. Illorum memi-  
nit propter frumentum & hordeum, horum ob vineam.

12 Vinea confusa est.) ut suprà exposui Confusum  
est mustum. aut חַוְבִּית significabit hoc loco areſcere, ut  
translatis Ionathā, vites arefactæ sunt. Quia confusum  
est gaudium. sit de significatu confusionis, per figuratā lo-  
cationem, aut vertes, aruit, quasi diceret, desit. Fruges e-  
nim & fructus gaudium sunt hominum. Hunc sensum se-  
quitur Ionathan, quia desit gaudium, &c.

13 Accin-

13 Accingite & plangite sacerdotes, vlulate mi-  
nistri altaris, ingredimini, cubate in sacco ministri  
dei mei, quoniam prohibitum est domo dei vestri  
sacrificium & libatio.

14 Sæctificate<sup>m</sup> iejunium, Chald. Decernite<sup>m</sup> af-  
flictionem (maceratio-  
nem carnis.)  
<sup>n</sup> vel, ferias.  
Chal. orate<sup>o</sup> coram do-  
mino.

15 Heu p diem, quia pro-  
pe est dies domini, & quasi  
vastitas à potente veniet.

16 Nunquid non coram  
oculis nostris q alimenta pe-  
rierunt? de domo dei nostri  
lætitia & exultatio.

17 Computuerunt<sup>r</sup> se-  
mēta in stercore suo, demo-  
lita sunt horrea, dissipatae  
sunt apothecæ, quoniā con-  
fusum est triticum.

18 Quām/ ingemuit ani-  
mal, perplexi sūt greges ar-  
menti, quia non est pascuū  
eis: sed & greges pecorum  
disperierunt.

Diem domini appellat, quo dominus hanc cladem lo- Auctariū.  
custæ primū ministerio, postea ferro atque armis Chal-  
dæorū, quorum imaginē hoc locustarū agmen gerit, Israë-  
litis

litis inferet. Hunc vicinum esse dicit, ut Iudeos vehementius terreat, & mox futuræ clavis descriptione acris ad pœnitentiam, ad quam hortatur tota hac sectione, sollicitet. Adde post quadraginta quatuor annos & semiesset ab obitu Menas, quo rege Ioëlem annales Hebraeorum floruisse tradunt, captiuitatem illam extitisse, quæ transmigrationis Babylonis dicitur Matthæi 1. Quæ sequuntur ad eiusdem calamitatis amplificationem pertinent.

Selomo 1a-  
rhius. 14 Sanctificate ieunium.) Præparate ieunium. Cætum, ferias, cōgregationem. Heu diē, Hebraum חַדְשָׁה interiorū est raucedinis cum eiulatu. Et quasi vastitas, & tāquam direptio vastatorum. A potente veniet, à deo.

16 Coram oculis nostris.) Nobis videntibus.

17 Putruerunt.) Dic̄tio Hebræa עֲבֹת plus significat, nempe emittere rubiginem cum putore, vernaculae moisir. Semina. in Hebr. פְּרוּחָה, quod Jonathan transtulit Dolia vini. Sic quod sequitur מִגְרָפָה יְהוָה verit tegmina, opercula, videlicet dolij. Horrea tritici. Apothecæ, vini & olei.

18 Perplexi sunt.) Implicuerūt & incluserunt sibi mentem, deerrarūntque per sylvas & solitudines. Disperierunt, vastati sunt delicto Israélitarum, & quasi culpæ obnoxij facti sunt.

Abb' ezra 13 Succingite saccum.) Sententia est hæc, Nihil vobis est, quo placeatis ei offerendo holocausta, quum præsertim sacrificium iuge non vobis suppetat.

14 Sanctificate.) Idem quod parate. Ferias, ne quicquam opus agat. Iaphet autem explicat cætum, ut צְרוּת, cætus præuaricatorum. Congregate omnes habitatores

bitatores terræ Israéliticæ. Domum domini, קְרֵת אֶלְעָזָר וְתִנְחַזֵּק περιστοις ad vel in.

15 Heu diem.) Particula הַיְלָה usurpat in timore. Iaphet scribit & in ea aduentitium esse. Et quasi vastitas. sententia est, Quis liberari poterit vastitate, quæ vētura est à domino. Cæterū Naghid beatæ recordatiois scribit יְהִי, quod potentem significat, adiectiū esse formæ, יְהִי mōrens Iere. 8. ver. 18 est cor meum in me, verū censet Iod positum pro litera geminanda. ut דְּלִיו eleuata sunt crura à clando (pro דְּלִלוֹ) Pro. 26. ver. 7 & significare potentem seu victorem. & proinde, inquit, hoc loconon designat Deum Opt. Max. ut nec alio, instar Exec. 1. ve. 24 vocis aquarum multarum, tanquam vocem טְרוּי potētem, audiui vocem animātum quatuor. Quo in significatu habebes, erit טְרוּי, potens aurum tuum ac validum, ut est argumento quod mox sequitur, Et argentum robora tibi (erit) & quod præcessit, pone super puluerem aurum. Sane præclarā est hæc explicatio.

16 Perierunt.) Bis sumi debet, perijt, seu excisus est cibis & excisum est Gaudiū & exultatio, de vino quod exhibarat Deum & homines.

17 Computruerunt.) Sic enim explicat Rab. Mari-nus עֲבֹת. Cæterū non est illi cognatum in scriptura. Sementa, פְּרוּחָה sunt grana tritici & hordei quæ sata sunt sub Stercore suo, sub humo: & sic exponit, si Exo. 21. ve. 16 \* Gleba percussit, ubi & aduentitium. Horrea, \* Alj pugno. סְמֻנוּת sunt loca ad coaceruationem frumenti tanquam thesauri & repositoria, qua significatione verbum à quo deriuatio hæc facta est, sumitur in Osea, ob frumentū & Ose. 7. ver. 14 mustum יְהִנּוּרְוּ congregabuntur. Porro vox hæc irregula-

ris est, ob additionem gemini.

Exo.14. ver.3. 18 Perplexi sunt.) sic נָבוֹכִים perplexi, ubi sive poni-  
tur pro holem. נְבָכוּ autem habet formam similem in Pro-  
p.19. ve.29 uerbiis נָבוֹנָה parata sunt illis oribus iudicia. Disperierunt,  
verbum אֲשֶׁר sic sepe sumitur ut, תַּשְׂאֵן disperbit, seu de-  
o.14. ver.1. solabitur Samaria.

D. Kimhi 13 Accingite.) saccum scilicet, quod postea explicat,  
Cubate in sacco. Eius porro quod dixit Ingredimini,  
sensus est, Ingredimini aëdem domini, et ibi plangite, ait  
que Cubate, quasi dicere veleret, ne nocte quidem detra-  
here debetis saccos à vobis, si forte misereatur dominus ve-  
stri. Deinde compellans sacerdotes eos ministros vocat mo-  
dò altaris, modò Dei sui: quia ministerium illud exhibetur  
Deo in altari. Tribuit autem ministerium Dei altari, ut  
Num.4. ver.9 alibi, in quibus ministrabant ei (candelabro.)

14 Sanctificate ieunium.) Præparate populum ad  
ieunium. Transtulit Ionathan, decernite ieunium. Vo-  
cate cætū, ut cohabeatur populus ab opere suo, et congre-  
getur ad orationē & preces. Et clamate ad dominum,  
si forte exaudiat clamorem vestrum, et à vobis summo-  
ueat plagam hanc. Iubet autem propheta ut hæc omnia  
præsent cum aduenerit locusta: aut certè ut redeant per  
pœnitentiam ante aduentum eius, ut Deus miserationi-  
bus suis remittat sententiam hanc.

15 Heu diem.) Dicite heu, heu diem hunc qui ventu-  
rus est. Et quasi vastitas à potente veniet: quasi vasta-  
tio quæ de repente adest, sic veniet dies iste à potente. Na-  
għid exponit à potente, à robusto homine: et sic, Audiui  
Ezech.1. vocem animantium quatuor tanquam sonitum aquarum  
multarum

multarum, tanquam vocem טָר robustam. quasi diceret  
Ioel, tanquam vastitas robusta & valida à qua nemo se e-  
ripere posset, veniet.

16 Nunquid non coram oculis nostris.) Videbi-  
mus fruges maturas, et veniet locusta cernentibus nobis  
eas excisura. Ac postquam excisus est cibus, excisum est  
gudium et exultatio ab æde domini Dei nostri. Offere-  
bant enim oblationes in festo\* messis, et gaudebant ibi, si-  
quidem ingēs erat lætitia messis, ut significat Esaias, sicut festū Penteco-  
stes. Exod.23.  
Esa.9. ver.3.

17 Putruerunt.) idem est quod עַפְצָע de significa-  
tu putoris. Nam בְּ פְ sunt literæ eiusdem prolationis. Et  
sic in Misna (priore parte Talmud) pauperibus חַבְקָר libe-  
rum est, pro הַפְּקָרִית. Sementa, propriè sunt grana  
sementis, quæ humo condita sunt, significat autem fore al-  
teram maledictionem. Sementis enim corrumpetur et pu-  
trescit sub humo, neque progerminabit: quod vero proger-  
minabit, absūmetur à locusta. Aut coprarent grana se-  
mentis penuria imbrium qui non supernè descendunt. Sic  
enim etiā erit annis illis maxima imbrīū defectio. In ster-  
core suo, טְנָרְפָתִיהָ significat fragmentum terræ, et sic Exo.21. ve.15  
qui percusserit lapide aut בְּאָגָרוֹת gleba, iuxta sententiam  
nonnullorum interpretum. Ionathan verit, Dissoluta sunt  
dolia vini sub operculis suis. Verbum Hebreum accepit  
pro operculis dolij. Demolita sunt horrea. Ea etiam ap-  
pellat apothecas, et sic, an adhuc sementis est בְּטֻרְבָּה in  
horreo. Illa dicit destructa, nimirū quia veluti diruta sunt,  
dum nihil in eis reponitur, aut quoniam non est qui ea in-  
staurare curet, ut quotannis siebat, ipsis propterea collaben-  
Hag.2. ve.20

tibus & pereuntibus. Ceterū prius in hac dictione  
Mal.1.ver.13. מִתְנוֹרוֹת addititum, & posterius itidem ex literis Amtin,  
veniuntque literæ duæ adiectitiae simul, ut in Malachia,  
הַתְּלִלָּה defatigatio. Tamē dominus pater meus (R. Joseph  
Kimhi) quē felix faustumque nominasse, scriptū reliquit  
p̄ prius ministeriale esse, atque si signaretur hiric מִתְנוֹרוֹת  
ex horreis, exponens, Nonnulla ex horreis diruta sunt, tūm-  
que veniet Mem ministeriale cū pathah, ut alius aliquot  
1.par.15. v.13 locis, quia לְמִבְרָא שׁוֹנָה ab initio, Et, Non sanctificati sunt  
2.par.30. v.3 לְמִרְאֵה satis. Quoniam confusum est triticū. Hoc iam  
exposuimus.

18 Quām ingemuit animal.) Primò generaliter id  
proponit, quod mox speciatim explicat. Perplexi sunt.  
Exo.14.ver.3. נָבוֹכוּ de significatu confusionis, cùm quis confusus est men-  
te & quid agat, nescit: ut, נָבוֹפִים perplexi sunt in terra.  
Sed & greges pecorum. Sed &, dixit, quia greges o-  
nium sape pascua nanciscuntur, cùm id facere nequeant  
boves, propterea quòd concidunt montes & colles, quod  
non possunt boves magna ex parte. Disperierunt. Hebr.  
וְשָׂמֶן, & perscheua simplex. Significat autem desolari, ut  
Ose.14.ver.1. חַטָּם desolabitur Samaria, quemadmodū apud Oseam  
exposuimus.

19 Ad te domine clama- Chald. Eurus nō mi-  
bo, quia signis comedit cau- nus vehemens quām i-  
las deserti, & flāmia succen- gnis collegit mansiones  
dit omnes arbores regiōis. deserti, & flamma va-  
stauit, &c.

20 Sed & bestiæ agri cla- Chal. Sperant in te.  
mant ad te, quoniam exsic- cati sunt fontes aquarum, & ignis deuorauit spe-  
ciosa

ciosa deserti.

Pergunt sacerdotes in oratione, quā iam à decimoquin- Auctariū.  
to versū, fundere coram domino in fidelium omnium con-  
cione cōperat. Præfens, inquiunt, calamitas, quam tibi ex-  
posuimus (versibus 16, 17, & 18) cogit ó domine vt ad te  
clamemus. Nihil enim nobis reliquum, quo vel pecora no-  
stra alamus. Nam quæ nobis locusta reliqua fecerat, ab-  
sumpta sunt nimio aëris ardore. Imbrium penuria rāta est,  
ut etiam feræ bestiæ, quæ hoc illuc curvant, siti emorian-  
tur, quòd nusquam potum consequantur. Aruerunt aluei  
aquarum, igneus solis æstus pascua omnia consumpsit, ut  
nihil amplius superet quo vel famem vel sitim possint re-  
stinguere.

20 Vbi vertimus, Sed & bestiæ agri clamant ad te. Hieronymus transfert, Tanquam area sitiens imbre suspexe-  
runt ad te. Et haud scio num ut hæc versio ἐμφανιώτερη  
est, ita & potior sit, præsertim cùm Ερωνή Eze.16. & Can-  
tic.5.6. sit area quæ fit in hostiis ut postea cōspergantur se-  
mina, Gal. Quarreau. Quo significatu sèpius reperiri in  
libris veterum Hebræorum, author est Kimhi in Radici-  
bus. Recētiores exponunt חערוג וחתמְתָה bestiæ agro-  
rum clamant & fremunt: et si hæc vox de ceruis propriè  
vsurpetur Psal.42. Quod nos priore loco ex eorundem sen-  
tentiis caulas, Hieronymus speciosa vertit, ut נאות in gemi-  
na significatione sumatur. Nam חַטָּם speciosum significat,  
sicuti præter cæteros docet Elias in Tisbi, qui sensus qua-  
draret cum expositione R. Mosis, de qua Abben Ezra.

19 Caulas deserti.) hic sumitur pro נאות caula. R.Selomo.

20 Clamant.) Ita interpretatur Donas. Alioqui עֲרֵז de  
ceruis

ceruis dicitur propriè, ut רַעֲנָה rugiit, de leonibus: רַעֲנָה mu-  
giit, de vitulis: בְּהֵן hinniit, de equis: צְפֹצָה garritus, de a-  
uibus: צְחַנָּה latrauit, de canibus.

Aben ezra 19 Ad te.) Verba hæc sunt prophetæ denarratis annum  
esse sine pluviis. Et hoc indicat Comedit caulas, נָאֹת  
soph.2. ver.2 idem quod נָוֹת, caulae defossa pastorū, in Sophonia. Rab.

Mosæ sacerdos id dici tāquam de arboribus agri, scribit,  
in quibus aues nidificant. Iaphet autē, atque si, inquit, ab-  
sumpsisset ignis, se presens rerū status habet. Ac illud quidē  
accommadatum esset nisi sequeretur, Quoniam exsic-  
cati sunt fontes aquarum.

20 Sed &.) Figurata locutione arbores agrorū clamāt,  
atque etiam bestiæ agri. Clamant. Hebr. clamat singul.  
unaqueque scilicet bestiarum agri. In quem modum in Ge  
gen.49. v.22 nisi, Filię incessit, id est, unaqueque filiarum. Quoniam  
exsiccati sunt fontes, יְמִינָה propriè sunt loca ubi sunt a-  
qua multiplices profundæque. Siquidem, inquit, carent a-  
qua, qua sitim sedare possint. Et ignis deuorauit specio-  
sa deserti. nec illis suppetit quod esitent.

D. Kimbi 19 Ad te domine. neque enim ullus est seruator præter  
te. Quia ignis. tanquam ignis aut flāma transiit per eas,  
cum per illas transiit locusta. Caulas deserti, tabernacula  
pastorum vocātur נָאֹת. Idque per permutationem Vau  
in א, וְגַוְג. Ionathā vertit Mansiones deserti. Nam  
quo verbo utitur, est de significatione דִירָה mansionis aut  
רוּחָה, ut in scriptis doctorum nostrorum fælicis memo-  
riae, ingrediuntur לְדִירָה in caulam ut decimentur.

20 Sed & bestiæ agri, etiam bestiæ agrorum quæ faci-  
lē adipiscuntur pabulum in montibus procul à locis cultis,  
quō

quō etiam non perueniunt locustæ, Clamant ad te, pro-  
pter sitim. Quoniā exsiccati sunt fontes aquarum.  
Nā præter locustā erit annis illis penuria imbrium. Nihi-  
lominus fera bestiæ, quæ huc illuc procul oberrāt, inueniēt  
quidē pascua in locis humidis, aliquod hic, aliud alibi, at  
nō inueniēt aquas, quas possint bibere. Siquidem arefacta  
sunt penuriā imbrium, flumina & riui aquarū. Quāquam  
autem opus habent cibo, magis tamen indigent potionis.  
Clamant, גָּרְוָה propriè singulare est: clamat nēpe una-  
queque bestiarum. Est autem de significatu clamoris, sitis  
causa, ut, sicut ceruus הָעֲרָוָה clamat cum anhelitu, ad fon- p. 42, ver. 2.  
tes aquarum. Et ignis deuorauit speciosa, loca grami-  
nea quæ erant in desertis, aruerūt atque si absumpsis-  
set ea. Vocat autem ea נָאֹת caulas, propterea quod illic ten-  
dunt tabernacula pastores qui agunt in desertis: tametsi  
procul sint ab habitatione.

## CAP. II.

1 Canite tuba in Sion, vlu Chald. <sup>a</sup> Quia pertigit  
late in monte sancto meo, dies ut veniat à confe-  
ctu domini.

<sup>b</sup> Examen locustarū ad-  
uentat.

2 Dies tenebrarum & ca-  
liginis, dies nubis & turbini-  
nis. Quasi mane expādens  
se super montes, <sup>b</sup> populus multus, & fortis. Simi-  
lis ei non fuit à principio, & post eum non erit us-  
que in annos generationis & generationis.

3 Ante faciem eius ignis vorans, & post eū exu-  
D rens

rēs flamma. Quasi hortus  
voluptatis terra eorum co-  
ram eo, & post eum solitu-  
do deserti, neque<sup>d</sup> est qui  
effugiat eum.

4 Quasi aspectus equorū  
aspectus eius, & quasi equites sic current.

5 Sicut sonitus quadrigarū super capita mōtium  
exilient, sicut sonitus flāmæ ignis, deuorantis sti-  
pulā: velut populus fortis præparatus ad prēlium.

*Auctariū.* Quæ superiori capita narrata sunt, pertinere videban-  
tur ad retro acta tempora, cùm magis expectaretur aduen-  
tus locustarum, quām sentiretur, contrā quæ hic afferuntur  
attingunt earum aduentum. Quæ, inquit Ioēl, prædicta à  
me credere noluistis, ipso euētu, qui iam iam imminet, per-  
cipite: & ut etiam num ad pœnitentiam commoueami-  
ni oī sacerdotes & populum vestris admonitionibus eodem  
inclinetis, clangite tuba in Sion, &c. Respicit autem ad  
id quod scriptum est in libro Numerorum, ut quo tempore  
Israēlitis standum esset in acie, clangerent, concrepantibus  
tubis è loco urbis eminētiore, qualis Ierosolymis erat Sion,  
ubi arx David. sic enim incendi erant ciuium animi  
ad communem hostem propellendum: & futura recorda-  
tio, inquit Moses, coram domino Deo vestro, ut eruamini  
à periculis. Ceterū versu 15. superioris capitū dicebat  
diem hunc domini vicinum esse: hic vero non modo vici-  
num, sed etiam venire, ut intelligi posset hæc iam attinge-  
re aduentum ipsum locustarum. Quare Chaldaeus elegāter  
vertit, quia pertigit dies seu tempus ut veniat à conspectu  
domini,

Nume. 10:

Chal. d Liberatio in eo  
nulla erit impio.

Chal. e Qui depascitur  
stipulā aridam, tāquam  
populus qui nouit ordi-

domini. Le temps est venu qu'il aduienne.

3 Ante faciem eius.) diēi, vel populi locustarum. Hoc  
autem ait, quoniam locusta ut nimio æstu oriuntur: ita eo  
graffantur maximè. Quare Australes multò səpius quām  
Septentrionales illarum iniuriis patent.

1 Canite tuba,) ad commonefaciendum ut per pœnitent R. Selome.  
tiam redeant, ante quām id mali superueniat. Dies do-  
mini, is quem suprà diximus. Quasi manc expan-  
dens se super montes. Locusta & bruchus expandunt  
se super montes, tanquam aurora quæ in totum orbem  
diffunditur. Similis ei non fuit à principio, ut vene-  
rint quatuor hæc genera per ordinē successionis. Vnica au-  
tem illa locusta species, quām dominus immisit in Egy-  
ptios non habuit similem, quia dictum est: Et postea talis EXO. 10. v. 14  
non erit.

3 Ante faciem eius ignis vorans.) Perdunt omnia  
atque si ignis deuoraret ante eas, & flamma post illas suc-  
cenderet. Quasi hortus Heden erat terra ante aduen-  
tum eius, at postquam graffata est, reliquit terrā tanquam  
desertum vastum.

4 Quasi aspectus equorum.) In cursu suo.

5 Sicut sonitus flammæ quæ deuorat stipulam.) e- \*Ita appella-  
ditque sonitum. Præparatus ad prælium. Heb. Præpa- hateph segol,  
ratus seu instruetus prælij, quoniam enim יְהוָה positum est quia segol est  
& dicitur pa- in syntaxi signatur \*hateph pathah.  
thah paruum.

1 Canite tuba.) Hic propheta dixerat, Succingimini, Abbē ezra  
ante aduentum huius diēi, ubi vero aduenit, clangite tu-  
ba, & proinde etiam nunc, inquit, cùm adeſt dies domini,  
redeant ad dominum, quandoquidē ipſe mira facit cū eis.

D 2 2 Dies

*Exo.10. ver.5* 2 Dies tenebrarum.) Iuxta hanc sententiam Exodi,  
Operuit locusta superficiem terræ. Quasi mane momen-  
to uno expandens se. Populus, examen, & cætus, hoc  
*Exe.31. ver.8* enim δυ significat ut & in Ezechiele, Cedri non ἔσθια  
*Sap.1. ver.6.* sociantur cum eo ordine uno. Et ita vocavit eam gentem.  
3 Ante faciem eius.) Figurata locutio de locusta. Ne-  
que est qui effugiat, nihil est quod ab ea liberum sit.  
4 Quasi aspectus equorum.) Quasi cursus.  
5 Quasi sonitus.) Sensus est, Currus non vebitur per  
locum editum, at hoc locustarum agmen etiam in summa  
montium iuga à domino immittitur. Flammæ ignis qui  
sursum euolat. Præparatus ad præliū, perpetuo ordine.  
*D.Kimhi* 1 Canite tuba in Sion, & cōcrepate in monte san-  
cto meo.) Ingeminat sententiam his verbis. Sion enim  
*Ps.2. ver.6.* est mons sanctus ut in Psalmis, Super Sion monte sancto  
meo. Ratio autem canendi tuba & clangendi eo spectat  
ut excitentur mentes ad pœnitentiam.  
2 Dies tenebrarum.) Calamitas cōparatur tenebris,  
ut gaudium luci: aut expositio erit quòd præ multitudine  
locustarum obtenebretur terra, ut dicitur de locusta Ægy-  
*Exo.10. ver.15* ptica: Et obtenebrata est terra. Quasi mane expan-  
dens se super montes. Sicut aurora quæ se spargit per  
montes puncto temporis. Ibi enim primum sol exortu suo  
cernitur ab eorum altitudinem, sic veniet hæc locusta dif-  
fundens & expandens sese momento per terram. Similis  
ei non fuit. Illa enim Ægyptiaca non nisi unius generis  
erat, numerosior tamen quam quæ nunc extitit in Israïlica  
*Exo.10. ver.14.* terra. Proptereaque in Exodus scriptum est, Et post eam  
non sic erit. Hic verò similis ei non fuit, inquit, quoniam  
fuit

fuit quatuor generū, cum illa Ægyptiaca tantum unius  
fuerit speciei.

3 Ante faciem eius.) in loco, quem veluti castra metas  
obsedit, antè & retrò videoas quicquid pubebat quasi igne  
perditum & consumptum. Ideo enim dixit, Ante faciem  
eius & post, quia locus castrorum eius non cernitur, quòd  
operuerit superficiem terræ. Atqui Ante facié eius, ante  
aduentum locusta erat terra sicut hortus Heden, poste a-  
quam autem appulit ad terram, & absumpit quidquid  
vernauerat, relicta est terra post eam solitudo deserti.  
Neque est quod effugiat. Nihil enim reliquit ex ger-  
minibus quod non absumperit. Ionathā vertit, quinetiam  
liberatio non est in eo impiis.

4 Quasi aspectus.) Cursu suo similis est aspectui e-  
orum.

5 Super capita montium exilient.) Strepitus pro-  
gressionis earum sicut strepitus vegetationis currum. Idqz  
in illis potius quia pergunt per cacumina, non item quadri-  
gæ. Exilient, Gressus enim locustarum constat saltu de lo-  
co in locum, ut testatur Moses, ut illis saliant super ter- *Levit.11. ver.21.*  
ram, &c. Quasi sonitus flammæ, Stipula enim & cre-  
mia minutiora, cum ea ignis corripit, editū strepitum iuxta  
illud, Ritus stulti tanquam strepitus spinarum sub olla. *Ecd.7. ver.7.*  
Præparatus ad prælium. Sicut populus fortis qui instru-  
ctus est, ut cum hoste suo pugnet edens vocem & clango-  
rem ad territandum eum. Cæterum γίγης quòd hic præpa-  
ratum & instructum significat, habet γιγενέσθαι & se-  
gol, estque Paulus syntacticum.

6 A facie eius cruciabuntur populi, omnes vultus redigentur in ollam.

7 Sicut fortis currerunt, quasi viri bellatores ascendent murum, viri in viis suis gradientur, & non declinabunt a semitis suis.

8 Vnusquisque fratre suū nō coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt sed & super enses cadent, & non vulnerabuntur.

usque

usque Reip. Iudaïca evenisse leguntur, tam apud Lucam, quam Iosephum Græcum & Hebraicum, Iosippum, Egesippum, Eusebium, & reliquos. Nam hic fit mentio vaporum fumi, seu (ut in Hebræo est) palmarum fumi, quæ non obscurè significat differtas linguas ignis, quæ de calo die Pentecostes missæ sunt, sanguinis & ignis, quæ in aëre aliquoties apparuerunt, antequam Ierosolyma à Romanis caperetur, & vers. 31. per ὑσπεριανὸν ecclipsis solis & lunæ, quæ Christo de cruce pédente mortales terruit, circiter 42 annos antequam adueniret dies ille magnus, quo dominus marте Titi Vespasiani urbem excidit, oppidanos partim interemit, partim in sempiternum exilium deportauit. Atque hoc velle videtur D. Petrus, dum Actorum 2. totam hanc sectionem cum superiori necit, & quasi eodem pertinentem citat. Versum 32. ad ecclesiæ tempora & adventum Christi pertinere docet Paulus ad Romanos, sed Rom. 10. & reliquiarum Israëlis, quibus electi in prophetis, eodem Paulo interprete significantur, Ioel se veluti explicans meminit.

30 Vaporem fumi.) Eleuationes fumū in sublime at-R. Selomo. tollentes.

31 Conuertetur in tenebras.) Ut pudore suffundat cultores solis.

32 Sicut dixit dominus.) Vbi nā verò dixit? In Deuteronomio, Et videbunt cuncti populi terræ quod ibi dominus inuocabitur super te. Et in residuis. In reliquis quas supereesse faciet. Quos dominus vocauerit, inuitauerit: quod dicitur de iis qui inuitantur ad coniuicium aut ad regis ministerium, de significatione apparatus.

*Abbé ezra 30 Et dabo.) More anchorum sacrorum, duabus rebus propositis, posterioris attributa primo loco pertractantur, psa.24. ver.15 postea vero tādem redditus fit ad priorem, ut, Tuus est dies, tua etiam nox, tu præparasti luminare(lunam) & solem, 10s.24. ver.4. & dedi Isaaco Iacobum & Esau, dedique Esao mon tem Seir, Iacob autem & filii eius descenderunt in Agyptum. Hoc pacto Dabo, inquit, Sanguinem in terra, in calis autem ignem & palmas fumi.*

*31 Sol.) attingit defectionem, quæ solis est in ipsis cum luna coniunctione, qua item luna deficit ruffaque efficitur, nempe cùm procul est à capite draconis vel cauda per sex propemodum gradus. Ceterū huiusmodi perpetuo significant bella atque præsagiunt multorum populorum cladem & interitum. Et in residuis sententia repetitur.*

*32 Quos dominus vocauerit.) id est, decreuerit.*

*D. Kimhi 30 Dabo prodigia.) Illo tempore editurus sum prodigia ad futuri prænunciationem, prodigia vero erūt In cælo & in terra, sanguis in terra ob maximam internecionem quæ futura est, ignis & palmæ fumi in cælo, ut sunt fulgura, quæ dum cadunt, comburunt exustione fumum attollente. Hec vero portendent stragem Gentium, quæ venturæ sunt cum Gog & Magog aduersus Ierusalem. Et palmas fumi, columnas fumi. Nam quia palma arbor est procera, recta, & æquabilis, illi ideo comparari solet res edita & recta: propterea quæ dixit, palmas fami de columnis fuliginosis. Sic in scriptis doctorum nostrorum aucto rememoræ, Ex quo ascendit palma eius. i. fumus eius. Item domus abtinens præter operi incensi, nec voluit docere. Missis igitur nunciis adduxerunt operarios Alexandria,*

*dria, qui norant quidē non minus aromata, quam illi commiscere, sed nesciebant sursum dirigere fumum ut illi. Horum enim fumus palmizabat, id est, erigebatur & ascendebat ut virga, illorum vero huc deflectebat.*

*31 Illa porro fulgura quæ descendunt contra naturam, aut solem qui vertetur in tenebras, & lunam quæ in cruentum, intelligunt interpres ad literam, quasi haec prodigia illo tempore re ipsa euēntura sint. Talis est sententia Abbezra scribentis ecclipses luminarium portendere bella gravissima. Fiet autem ecclipsis luminarium ante aduentum diei domini, nēpe antequam adueniat dies clavis Gog & Magog, atque populorum qui eum comitabuntur. Cuius rei haec signa præfensiones erunt. Et luna in sanguinem, significatur ecclipsis lunæ. Hec si uniuersalis fuerit, lunam atram conspicientibus exhibet, alioqui ruffam, cruentam, & quasi sanguinem. Illud est quod ait, Luna in sanguinem. R. Moses ben Maimonis hoc & similia intellexit tropicè de calamitatibus quæ superuenient populis. Prodigia vero quæ enumerauit In cælo & in terra ignem, sanguinem, & vaporem fumi: item, Sol vertetur in tenebras, & luna in cruentum, allegoricè adumbrant afflictiones & prælia, ut suprà de locusta, ante eam contremuit terra, moti sunt cæli, sol & luna obtenebrata sunt, stellæ retraxerunt splendorem suum. Et infra de exitio Gog cap.3. ver.15. & Magog, Sol & luna obtenebrata sunt, & stellæ retraxerunt lucem suam. Ceterū iuxta expositionem R. Moses ben Maimonis loco nō Antequam veniat dies domini, dicendum erat, ubi venerit dies domini. Fieri autem potest, ut dicat calamitatem hanc euēturam Israëlitis, ver*

tendamque eis lucem in tenebras, antequam adueniat dies  
cædis Gog & Magog, qui ascensurus est cum multis po-  
populis aduersum Ierusalem, adeò ut expugnet eam & me-  
dia pars urbis exeat in exilium, quod designatur per tene-  
bras, scribente Zacharia: Non erit lux preiosa & coa-  
gulata seu nubila. Dies porrò ruinæ Gog & Magog est  
dies domini magnus & terribilis, ut dixit de locusta, quia  
magnus dies domini & timendus valde. Sol, hoc expo-  
suius.

**Isa. 14. ver. 6** Et erit omnis qui inuocauerit.) Tū enim in præ-  
lio Gog & Magog angustia magna vexabuntur quidem  
Iſraēlitæ, sed exiguo tempore: ut de illa tempestate prædi-  
xit Eſaias, Abde te (o ecclesia) ad aliquid momētum, quo

**Iſa. 26. ver. 19** usque transeat ira. Tūmque plerique Iſraelitarum interi-  
bunt, sancti autem & qui dominum timuerint, re vera li-  
berabuntur. Vt & in eadem prophetia idem testatur. Qui  
relinquentur in Sion & Ierusalem, iij sancti dicentur, vi-  
delicet omnes Ierosolymis ad vitam descripti. unde Om-  
nis qui inuocauerit nomen domini seruabitur, Is-  
nimirum qui inuocauerit eum in veritate, ut est in psalmo,

**psal. 145.** Propinquus est dominus omnibus inuocantibus se, omni-  
bus qui inuocat eum in veritate seu fide, ut sunt reliquæ,  
Quas dominus vocauerit. Illi enim fideliter inuoca-  
bunt eum, ipse vero illos vocabit seruos atque amicos suos.  
Quia in monte Sion. Eò enim concendent gentes. Et  
in residuis, euasio erit in reliquiis, Aut vox, Vocaue-  
rit accipietur de vocatione magnitudinis & gloria, ut in

**Eze. 23. ver. 23** Ezechiele, Triarios & vocatos adducam aduersum vos,  
**Num. 1. ver. 14.** & Vocati congregationis sunt hi. Et in Eſaiā, Vocabo

seruum

seruum meū Eliakim. Ionathan intellexit pro præparare.

## CAP. III.

1 Quia ecce dieb' illis & Chal. <sup>a</sup> Quo restituam  
tempore illo <sup>a</sup> cùm conuer- exilia hominum Iuda  
tero captiuitatē Iuda & Ie- & habitatorum Ierusa-  
rusalem,

2 Cōgregabo omnes gen Chald. <sup>b</sup> In planiciem  
tes & deducam eas <sup>b</sup> ad val decisionis iudicij, & ul  
lem Iosaphat, & disceptabo ciscar illos ibi super po-  
cum eis ibi, super populo pulo meo.  
meo & hæreditate mea If- Ch. <sup>c</sup> Pro mercede me-  
raël, quos disperserūt in na retricia.  
tionibus, & terram meam diuiserunt.

3 Et super populum meum miserunt sortem, &  
dederunt puerum <sup>c</sup> pro meretrice, & puellam ven-  
diderunt pro vino ut biberent.

Toto tempore euangelij quisquis inuocauerit nomen Auctariū.  
domini saluus erit. Porrò sub eius finem se dominus omnes  
coacturum pollicetur, ut qui nomen suum minimè inuoca-  
uerint, sed & veros dei cultores contempserint, aut etiam  
persecuti fuerint, extremis & exquisitiissimis suppliciis af-  
ficiat: reliquias qua huiusmodi despiciatus, calumniás &  
persecutiones surda aure præterierint, atque forti, constan-  
tique animo pertulerint, perpetua fælicitate beat. Ita quæ  
sequuntur ad extreum domini diem, quo venturum cre-  
dimus & speramus ut iudicet viuos & mortuos, pertinet.

3 Dederunt puerum pro meretrice.) Puerū Iſraë-  
licum commutatunt cum meretrice, vel eum diuendide-  
runt ut scortum mercari possent, aut ei etiam mercedē pen-

H 3 dere.

dere. Hieronymus, Posuerunt puerum in prostibulo.

R. Selomo. 2 In vallem Iosaphat.) Descendam cum eis in profunditatem iudicij. Iosaphat, iudiciorum domini.

Lam. 3. ver. 53 3 Miserunt sortem.) הִנֵּה בָּכְרַת כָּאֹבֶד וְיִשְׁלַחֲרֵב in me lapidem, apud Ieremiam.

Abbé Ezra 1 Quia.) Ob hæc quæ ipso versu narrantur, existimarent plurimi prophetiam hanc de futuro esse dictâ, ac fortasse ita est. R. tamen Moses, Inuenimus, inquit, recidisse 2. Paral. 20. panorem domini in omnes gentes finitimas Ierosolymis regem Iosaphat, ac illi obtulisse munera, quinetiam temporibus eius reuersos esse qui maiorū saeculis captiui ducti fuerant.

2 Congregabo.) Alludit ad prælium quo conuenerunt Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi cù exercitu supra modum numero aduersum Iosaphat, cui ex Iuda et Beniamin millies millena centum et sexaginta millia strenuorum hominum aderant. Vallis autem Iosaphat est vallis benedictionis, sic enim appellauit Iosaphat.

Lam. 3. 3 Miserunt.) הִנֵּה verbum futuri temporis præteriti loco. Hoc confirmatur è Threnis יְהִי et miserunt, seu iece- runt in me lapidem. Consentaneum etiam est ut sit præteriti temporis, verum erit de verbis duplicatibus. Quin et inuenimus יְהִי ad deiiciendum, quod monstrat ordinem eorum quæ occultum habent he. Et dederunt puerum. Israëlitæ pro precio meretricis scortationis causa. Et puerum vendiderunt pro vino, pro pretio vini, ut ebrietas una cum scorno vacarent. נָגָה enim quo quis scripturæ loco in hac sua vulgata significatione sumitur, præter unum hunc יְהִי et arma lauerunt, ubi idem sonat quod אַוְנִיר et arma tua. Nam enim ascitum est.

1. Reg. 22.  
Deut. 23.

1 Quia

x Quia ecce.) Id implebitur tempore, quo reducam capiuitatem Iudæ et Ierosolymorum, nempe diebus Christi. Meminit autem Iudæ, etiam si cuncti Israëlitæ reducendi sint, propterea quod Christus erit de tribu Iudæ. Mentionem verò facit Ierosolymorum, quod esset regni capitulum, quodque illic ineundum sit prælium Gog et Magog. Conuertero. Hebr. וְשָׁב scribitur cum Vau è coniugatione Kal, ut בְּתָרֵב tranquillabit dominus deus tuus capiuitatem tuam, de significatione pacationis et tranquillationis. Legitur autem per Iod in coniugatione graui, ut significet reducere.

2 Congregabo.) Tum temporis congregabo omnes gentes: cōgregabo inquam, quia inducam in eorum animos, ut veniant cum Gog et Magog, quod suo vaticinio mādauit Ezechiel, Adducam te in montes Israëlis. Et deducā Exec. 39. ve. 2 te ad vallem Iosaphat. Illic enim hoc certamen inibitur. Hæc porro vallis erat regis Iosaphat, et fortasse ibi edificarat, aut aliquod opus gesserat, ut propterea nomen eius retinuerit: vicinaque est urbi Ierusalem. Aut etiam vocatur vallis Iosaphat propter iudicium, quæ admodum sequitur. Et disceptabo, seu iudicabor Cum eis. Ita Ionathā intellexit, ad planiciem decisionis iudicij, et c. Et disceptabo cum. Ingrediar in iudicium et disceptationē cum eis, et illos eius arguam, quod exercuerunt in Israëlem, dum inter eos exularet. quem disperserunt in nationibus. Titus et copiæ eius, qui vastarunt terram Israëlicam disperseruntque oppidanos intergentes.

3 Et super populum meum.) לְךָ in, hic sumitur propter super, et sic, Percusit Palestinum מִצְחָה super frontem Isam. 17.

zach.2.

tem eius. Miserunt sortem. Iecerunt inter se sortes super Israëlem, ille tuus erit, hic meus. Miserunt, Hebr. 11, cuius loco dicendum ἐστιν, ex יְהוָה לְעֵדָה ad deiicienda cornua gentium. At propter cōcūrsum duplicitis Iod, detractum est Iod radicale atque reiecta motio in Iod futuri. Significat autem prōiicere: sed ut cū dicitur, prōiiciam vobis sortem. Pro meretrice, pro mercede meretricia.

4 Verū quid mihi & vobis Tyrus & Sidō, & omnis terminus Palestino-rū? Nunquid repensationē vos redditis mihi? & si retribuitis mihi, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.

5 Qui argētum meum & aurū tulistis, & desiderabilia mea pulcherrima intulistis in delubra vestra.

6 Et filios Iuda & filios Ierusalē vēdidistis filiis Græcorum, vt longe faceretis eos de finibus suis.

7 Ecce ego suscitabo de loco, in quo vēdidistis eos, & cōuertam retributionem vestram in caput vestrum.

8 Et vendam filios vestros & filias vestras in manibus filiorum Iuda, & venundabunt eos Sabaei genti longinque, <sup>b</sup> quia dominus locutus est.

*Auctariū.* Vbi dies domini, quo iudicium cum hostibus populi sui initurus

*Chald. d* Et etiam quid vos estimamini coram me Tyre & Sidō & omnes limites Palestino-rum?

*Chal. e* Vasa desiderij preciosa.

*Chald. f* Adduco ea apertere de loco.

*Chald. g* Tradam filios & filias vestras in manum filiorum Iuda.

*Chal. h* Quia verbo dominis decretum est.

initurus est, aduenerit, hæc & simili pathetica oratione cū eis expostulabit, orsus à vicinoribus populis. Quid ó Tyri, Sidonij, & Palestini mihi repēditus (est enim apostopsis ad designandum iratum animum) respondetisne beneficiis, quibus genus vestrū prosequutus sum, cū Iudeis rotam terrā Chanaan ferro flammāque vastantibus, vestræ genti nec vitam nec fortunas ademi, ut soli ex uniuerso Chanaanorum genere supereffetis? Sic igitur à vobis male affectus, num de repente de vobis vindictā sumere debeo?

Versu quinto eos dicit diripuisse aurum suūm, id est, sibi sacrum & destinatū sanctis vībus, attingens cladem, qua Babylonij, quorum belli socij Tyri, Sidonij, & Palestini fuerāt, direpto tēplo ac ædibus nobiliorū, vasa omnia tam aurea, quam argentea aut Babylonem transtulerunt, aut militibus & συμμάχοις in prādam reliquerunt. Historia extat in Daniele.

Quæ octauo versu dicit de vendendis Tyriis, allegoricè debent ad cruciatus gehennenses transferri. Deinde per hos populos generaliter illos omnes intelligi, qui data occasione affligunt ecclesiam sive proscriptionibus, quæ hic dicuntur venditiones, sive exiliis & ceteris huiusmodi persecutionibus.

4 Nunquid repensationem vos redditis.) Hæc est R. Sclomo. repensatio, qua prosecutus est Salomon Hiram regem, Reg. 9. v. II Tyri & urbibus dono traditis. Cito velociter. Hæc diligentiam & celeritatem facti indicant. Sabæis, filii Sabæ. Quia dominus locutus est. vbinam? In Genesi, Gen. 9. ver. 25 Seruus seruorum erit fratribus suis. sic locus intelligitur.

4 Verum quid mihi & vobis? Vaticinatur aduer-

I sus

<sup>2. Paral. 17.</sup> sus Tyrū, Sidonem, & Palestinos, de venturo exilio eorum die, & sanè inuenimus scriptū Palestinos obtulisse regi Iosaphat munus & argentū ponderis, ut ipsius marte subiectos illos argumentum sit testarissimum. Nunquid vos reparationem redditis mihi? Intuline vobis damnū, ut nunc repēdatis, &c. aut, Incipitne mihi rependere. ut <sup>Gen. 50. ver. 15.</sup> alibi, Reddet nobis malum quod retribuimus ei.

5 Qui aurum meum & argentum meum.) Dererant enim illis reges Iudæ munus aut precium ad suos captiuos redimendos,

6 Et filios.) Quos cepistis in prælio, aut furtim.

7 Ecce ego.) Ipsi reduces erunt, & vos viciſſim mulctabunt.

8 Et vendam.) adiicit ad talionem. Et filias vestras, quæ non prodierunt in aciem. Sabæis, genti remotissimæ, quæ est de regno Saba.

D. Kimhi 4 Verum quid mihi & vobis.) Quid mihi & vobis, ut græſſari vos oportuerit terram meam, cùm vicini effetis, foretque vestrū bene mereri de populo meo. Hoc non modo non egistis, sed potius cùm videbatis reges externos expeditionē in eos capere, iungebamini cum eis diripiendi & spoliandi gratia. Jonathan vertit, Quid vos habemini coram me. Terminus, limites appellantur תִּלְיָא. Nunquid repensationē. Repēſatio seu retributio interdū est inchoatio boni, quo alter alterū afficit, aut etiam inchoatio mali, ut, quia repēdit mihi, quia retribuisti nobis, Dicitur præterea de retaliatione boni aut mali, nēpeſi adiiciatur vox retributionis vel mercedis, ut hoc loco, Nūquid repēſationē mihi redditis. At vero quod mox sequitur,

Si

Si retribuitis mihi, pertinet ad initium mali. Quid istud, inquit, rei est quia male facitis mihi? an cogitatis de me vel ciscendo quasi male de vobis merito? Itane me erga vos gesi aliquando? Si dicitis, vestra vos sponte mihi nunc malia retribuere (qui enim Israëlitæ male afficit, de me male meretur, præcertim cùm ipsos habeam filiorum loco) mox profecto de repente merita vestra retorquebo in caput vestrum?

5 Qui argentum meum & aurum meum tulistis.) Aurum enim & argentum Israëlitarum meum est. illa enim à me acceperunt dono.

6 Et filios Iuda. Dū adhuc ipsi effent in terra sua, suffurabimini paruulos & vendebatis eos Græcis, qui deinceps ctiſſimi sunt à terra Israëlica ne deinceps reuerti posset in terram suam. Aut hæc eò pertinent, quod, cùm Israëlitæ in exilium abducerentur, aderant hi hostibus & capiebant filios Iuda, quos Græcis diuenderent.

7 Ecce ego suscitabo eos.) Iterum enim redibunt in terram suam. Quamvis locus exilij eorum remotus est, tamen repetent terram suam sive ipsi, sive nepotes, aut tam ipsi quam nepotes. Ipsi quidem in resurrectione mortuorū. Nepotes vero quia superstites erunt, illo conseruationis tempore.

8 Et vendam.) Quasi diceret, tradam in manū eorum, ut eos diuendere possint Sabæis, qui sunt à terra illorum quam Græci longè remotores. Sabæis. Hi sunt filii Sabæ, Orientales Meridionales terræ Israëliticæ, Tyro, Sidoni, & Palestina, & ab his remotissimi.

I 2 9 Cla-

9 Clamate hæc in gentibus, sanctificate bellum, su  
scitate robustos. Accedant, ascendant omnes viri bel-  
latores.

10 Confidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas, infirmus dicat, quia ego fortis sum.

11 Erumpite & venite omnies gentes de circuitu, & congregamini, eò fac descendere domine robustos tuos.

Auctarii. Eleganti sarcasmico reliquas gentes ridet Ioël, praesenti periculo eripite. Tyrios, Sidonios, & Palestinos, si potestis, quid illis maneat proclamate per gentes, ut contractis undique auxiliis impediatis decretum domini. Transit iugiter à vicinarum nationum iudicio ad remotiorum condemnationem.

R. Selomo. 9. Sanctificate bellum.) Si potestis aduersum me prælio decernere.

10. Aratra vestra.) Vox Hebreæ sonat quod vernaculè clatras. Ligones. Heb. טומרו תיכם Gallicè sarpe.

Eze. 9. ver. 19. 11 Erumpite.) Rabbi Menahen וְיַע putat idem esse quod וְיַח properate. Ionathan transfert congregentur. Ego arbitror deduci à ferrum וְיַח comprehensionis, quod nempe in unum cogitur, vernaculè masse. ubi Taur radicale non est.

Eò fac descendere ô domine. Hebr. הַנָּה כִּי. Ibi in cōgregatione vallis Iosaphat perfringet potentia tuam.

Sic

Chald. 1 Præparate qui prælium ineant, prode- scitate robustos. Accedant, ant in apertum fortes.

Chald. 2 Congregentur & veniant.

Chald. 1 Confringet il- lic dominus robur for- lanceas, infirmus dicat, tium iporum. Noster, Ibi occumbere faciet do-

minus robustos tuos.

Sic accepit Jonathan. Haud scio sitne de significatu demis sionis aut terroris, id est, חֶרֶב: ut Nun in illo adueniat si- cut apud Danielem נָגֵל, introduxit Daniëlem coram Dan. 9. ver. 25 rege, quo in verbo à radicale non est, sed נָגֵל.

9 Clamate hæc in.) Iam redit ad exponenda verba Aben ezra exercitus illius magni, qui coaluit aduersum Iosaphat. San- cificate, parate.

10 Contundite aratra vestra.) Hebr. חֶרֶב, idem hoc lo- co significat quod in Samuele, vomerem: וְיַח marram 1.Sam. 13. eius. Et ligones. Hebr. פְּטֹרָה falces putatoriaæ quibus ramos frondant. Infirmus, roboret se.

11 Erumpite.) cogimini ut וְיַע deriuetur à וְיַע Septē- trionibus seu ursæ stellis septem, quæ nunquam distrahu- Job. 38. ver. 32. tur, quod sint in sphæra extima, & apparèt in terris æstate simul ac hyeme. Descendere fac. Hoc vox Hebraica so- nat. Hæc autem propheta isto sensu ait, Eò demitte ô do- mine robustos tuos angelos. antithesis eius quod dixerat, Suscitare robustos. Illam effuvocis significationem intelligi potest è Chaldaea paraphrasi Psalmorum חֶרֶב, Fac descen- Ps. 65. ver. 11. dere in sulcos eius pluuiam. & in puluerem חֶרֶב descensus. Job 17. ver. 16. Iaphet sic interpretatur, Ibi confringet dominus robustos 2.Sam. 22. tuos ô hostis, qui ades, ut, חֶרֶב וְיַח confringetur arcus a- beneus.

9 Clamate hæc.) Præcone veluti træseunte ad eos et D. Kimhi sollicitante ut ineant pugnam aduersus Ierosolymitanos. Sanctificate, præparate, ut sanctificauit dominus Iesse 1.Samuel. 16. & filios eius.

10 Confidite aratra vestra in gladios.) In instru- menta bellica. מִזְבֵּחַ autem sunt marræ quibus fodunt

*Esa.2. ver.4.* falces quibus ramos præscindunt. Cuncta, inquit, instrumenta ferrea conuertite in instrumenta bellica. Graue enim erit hoc prælium. Porro de tempore pacis, quæ hoc præliū subsequetur, in vaticinio Esaiæ locutio his verbis conuertitur, Et contundent gladios suos in marras, & lanceas suas in falces putatorias.

*Iob.9. ver.9.* 11 Erumpite. יְלֹעַ idem quod cōgregamini, à quodam sydere & collectione stellarum, cuius mētio fit in libro Iob וָיְלֹעַ pleiades, arcturum & orionem, &c. Sic transtulit Ionathan, Congregentur & veniant. Et congregamini, וְאֶבְרָהָם imperatiuus est completus cum Nun coniugationis. Descendere fac, וְנַחֲנָה descendere fac ex Chaldaea paraphasi, ut Genes.12. Et descendit, Chaldeus habet וְנַחֲנָה. *Psa.91. ver.11.* Robustos tuos angelos, quo modo, Angelis suis mandauit de te, ut seruent te in omnibus viis tuis. &, De cælo pugnarunt stellæ, de viis suis dimicauerunt cum Sisara.

12 Consurgant & ascendunt gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo ut iudicem omnes gentes in circuitu.

13 Mittite falces, quia maturauit messis, venite & descendite, quia plenū est torcular: Exuberāt torcularia, quia multiplicata est malitia eorum.

14 Populi, populi in valle decisionis, quia prope est

*Chal. m* Veniant in publicum in planiciem decisionis iudicij, quia ibi reuelabor ut iudicem, &c.

*Ch. n* Extendite in eos gladium, quoniam appetiit tēpus finis eorū, descendite, triturate cadauera fortium eorū, iuxta calcationē, qua cōculatur in torculari, effundite sanguinem eorum, dies

dies domini in valle decisionis.

15 Sol & luna obtenebrati sunt, & stelle retraxerunt splendorem suum.

16 Et dominus de Siō rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam: Et mouebuntur cæli & terra, q & dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israel.

*Ch. p* Resonabit, & de Ierusalem extollet verbum suum.

*Chald. q* Fulcrum populo suo, & auxilium Israëlitis.

*Versu decimotertio assignatur causa, propter quā do-* Auctariū. minus tempore apud se destinato, & præfixo proditurus sit in iudicium viuorum & mortuorum. Nempe quoniārum cōpleta erit mensura iniquitatū omnium, & eo usque crescat hominū malitia, ut dei patiētiā vincat. Hac omnia fūse explicantur 14. cap. Apocal. Porro ex cap. 13. Matt. messis tēpus est consummationis sacerdotii, messores vero Angeli, quos hic iubet Christus (hac enim sectione loquens inducitur) falce immittere in maturas segetes seu messem. *Versu decimoquarto reticētia usus subicit verbum Ade-* ste, vel simile, mea quidem sentētia. Abben Ezra subaudit Cadent. 15. & 16. iudicij acerbitatē per prosopopeiam, solem, lunam, stellas denique omnes sentītes facit, quo sensu suprà semel capite primo, atque iterum capite 2. eclipses lucentium syderum omnium protulit. Sic Christus in Euangelio cūm de eodem die loqueretur: Virtutes, inquit, cælorum

1.Thef.4.  
Matth.25.

lorum mouebuntur. Postea Dominus de Sion, hoc est, piorum omnium catu, qui eum in aere, ut Paulus habet, circumfundent sententiam cōdemnationis terribilem, Ite maledicti in ignem eternum, pronunciabit. Suis vero tanquam lux clarissima affulget, ne eos diei infelicitas & caligo absorbeat.

R. Selomo 13 Mittite falces.) Educite gladios o vos qui proficimini missione mea perditum gentes. Quia maturauit messis, hoc est, aduenit tempus earum. Ideo autem comparat rem mesi, quia fruges metunt falcibus, ubi plus satis maturuerunt. Venite & descendite, quia plenum est torcular, botris: adeste igitur & calcate eos. Significat expletam esse mensuram iniquitatis eorum. Descendite.

Hebr. רְנִים significat subigere & dominari: ut in Genesi, Gen. i. ve. 28. וְרָא Et dominamini piscibus maris. Exuberat torcularia. Sonitus supereffluentium torcularium & humorem effundentium in medium lacum, qui est ante torcularia, exauditur.

14 In valle decisionis,) ubi decisio iudicij veri. Sic conuertit Jonathan in planicie decisionis iudicij.

15 Retraxerunt splendorem suum.) Intro miserunt lucem suam.

16 De Sion rugiet.) Iniuriarum causa, quas intulerunt sioniis. Et mouebuntur caeli & terra, vindictam sumet de principibus sublimibus, principibus populorum, deinde de populis ipsis. Spes, vox Hebræa propriè à tegendo & tanquam hospitando denominationem recipit, vernacula Heberger.

Abbé Ezra 12 Consurgant.) יְמִימִים suscitentur, ut paulò supra, Suscitate

scitate robustos, ubi eadem vox.

13 Mittite falces.) locutio tropica. scribiture enim Ammonitas & Moabitas delevisse habitatores motis Seir, & <sup>paral. 10.</sup> planè mactasse eos, postea vero se mutuis vulneribus extinxisse superstitae nemine. Exuberant. Metaphora. Vocatur autem vallis decisionis, quod consumptio eorum atque concilio facta sit. Qui vero Iosaphat interpretatur, quod dominus indicet eos, sequitur sensum mysticum. Ratione enim literæ cōsentaneum quidem est, ut homo appelletur nomine conditoris sui, veluti Petra, Saddai seu Præpotens, sed non ut deus nomen hominis sortiatur, ut proinde exposuerim Salomonem in Cantico canticorum pro nomine profano.

14 Populi, populi, cadent. Quia prope est dies domini.) ut vlciscatur eos.

15 Obtenebrati sunt.) super eis, uti antea, ante quam veniret dies domini.

16 Dominus de Sion rugiet.) Tonitru ingēti, ut vox Isa. 77. ve. 19 tonitru tui in sphæra. In quam sententiam dominus audire fecit exercitum Syrorum, &c. Et ita contigit iuxta illud, Dedit dominus insidiatores, &c. Et mouebuntur. 4. Reg. 7. v. 6 Tropica elocutio, omnes quidē pauebunt, ad dominus praestabit robur populo suo, iuxta illud Psalmi: Dominus fortitudinem populo suo dabit, ut illic explicauimus. Per S10, ut ipsemet exponit, Jerusalem intelligitur.

12 Consurgant.) Hæc sunt perspicua. D. Kimhi

13 Mittite falces.) Comparat gentes illas frugibus quæ maturuerunt, & ad quas demetidas, ut quissiam falcem immittat, tempus fert. Similiter tempus adest, ut hæc gen-

tes ferro hac in valle pereant. Venite & descendite. descendite in hanc vallem est. est enim velut prælum rati mis plenum quos quidem calcare oporteat. Sic o Israélitæ, conculate illas gentes in hac valle, & in eas ensem educite. Exuberant torcularia. Adeo enim plena sunt, ut effluat vinum per ipsorum superficiem, atque è superioribus partibus decidat. Est autem metaphora de fuso sanguine. Præterea tempus est ut moriantur, quoniam multiplex est malum eorum, quod exeruerunt in Israélitas tam ipsi, quam ipsorum maiores.

14 Populi, populi.) Repetitio ad auxilium sententiæ. In valle decisionis. Ibi enim gentes concidentur ac committentur, aut quia ibi decidet dominus, statuētque de iudicio earum, quemadmodū vocavit illam vallem Iosaphat, id est, iudicij domini. Ac sanè Ionathan vertit vallem decisionis, planitem diuisionis iudicij, ut & trāstulerat vallem Iosaphat.

15 Sol & luna obtenebrati sunt.) obscurati sunt illis, sed id suprà exposuimus.

16 Dominus de Sion rugiet.) Illic enim in Ierusalem est diuinitas eius, ac inde veluti rugiet, dabitque vocem suam aduersum eos, & ad ipsius vocem contremiscunt cali & terra, quæ omnia allegoricè intelligi debent.

Eze.38. et 39.  
zach.14. Etiam, inquit, terræ motus erit die illo in terra Israélis, ut constat ex vaticinii Ezechielis & Zachariae. Et dominus spes populi sui, præsidium ab iis gentibus, atque adeò terræ motu, ne eis noceat.

17 Et scietis, quia ego do- Chal. r Collocavi diui- minus deus yester, r habi- nitatem meam in Sion: tans

tans in Sion, in móte sancto Chaldf. Abundabunt meo. Et erit Hierusalé san- montes vino mero, &cta, & alieni non transibūt colles affluent bono. No per eam amplius.

18 Et erit in die illa, stilla- tes dulcedinē, id est, vi- bunt montes mustū, & col num dulce. les fluent lacte, & omnes riui Iudaibunt aquæ, & fons de domo domini egredietur, & irrigabit val- lem Sittim.

19 AEgyptus in desolationem, & Idumæa in de- sertum perditionis, pro eo quod iniquè egerint in filios Iuda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua.

Confecto Antichristo, & sectatoribus eius in æternū Auctariū, exitium præcipitatis, pijs recepti in æterna tabernacula cer- tò intelligēt & reipsa experientur, quod non nisi anigmāticè & per fidem antea sentiebant, dominum deum suum esse, ac cum ipsis sempiterno ævo habitaturū, in Sion mon- te sancto suo, monte illo magno & edito, in quo vidit Ioan- nes ciuitatem sanctam Ierusalem, descendantem de cælo à Apocal. 21. deo, habētem claritatem dei, & lumen instar iaspidis, aut chryſtalli, in qua quicquid erit, sanctitas erit. Externi e- nimir & profani, qui alieni sunt à domino, non ultra per eā transibunt, ut & testatur Zacharias.

zach.14. Versu 18. venustis tropis abundantiam rerum omnium quæ in illa Ierusalem seu ecclesia triumphanti futura est, describit. Omnia illic lēta erunt & suavia. Tanta iucun- ditas, ut cum ea nunquam deinceps meror aliquis commi- scandus sit. Tanta copia pascuorum & fœtarum onium (sic

electos adumbrat) ut veluti in lac montes colliquescant. Fons de illa domo scaturiet, fons, inquā, aquæ salientis in vitam æternam (quaë est diuinæ & cœlestis beatitudinis communicatio largissima) irrigans vallem Sittim seu spinarum, nos Christianos, qui in hac lachrymarum valle eramus aliquando ingemiscētes, grauati superindui cupientes, ut absorberetur quod mortale est à vita illa iugi & perenni, qui est fons immortalitatis amplissimus, de quo etiam Iohannes Apocal. 7. sic scribit: Agnus qui in medio throni est reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget deus omnem lachrymā ab oculis eorum. Versu 19. Hac cœlesti domo reprobos excludit, Aegyptios & ceteros, qui II. cap. Apocal. πνευματικῶς, ut ille loquitur, composuerūt ciuitatem magnam diaboli. Sunt qui hæc intelligant de statu ineuntis ecclesiæ post Christi in celos ascensionem, ut referantur ad illud, Et effundam spiritum meum, &c. Atque ita illis montes sunt Apostoli, Apostolicique viri. Mustum & lac euangelium: mustum robustis, lac parvulis, ceteraque eodem modo.

R. Selomo. 18. Riuos.) פִּישָׁה propriè locus per quem fluunt aquæ. Et irrigabit vallem Sittim. Iuxta literam irrigabit planiciem Sittim, ex allegoria expiabit iniquitatem Pehor. Nume. 33.

19. Aegyptus & Idumæa.) Iunxit eos inter se ad ultionem. Constat enim, quod absque Aegyptijs non superstes fuisset Idumæus. Dictum enim est, Sex menses sedit Iob, quousque excidisset omnē masculum in Idumæa, & paulò post, Fugit vero Adad & Idumæi homines, nactus que est Adad gratiam coram oculis Pharaonis, &c. Adad autem audiuit Dauide obdormisse cū patribus suis, &c.

& postremò, Factique sunt hostes Salomonis. statuit itaque dominus utrunque perdere. Pro eo quod iniquè eggerunt in filios Iuda. ob iniuriam quam Iudeis intulerunt. Fuderunt enim illorum sanguinem.

17 Quia ego dñs deus vester habitans in Sion.) Si Abbe' ezra quidē obseruarint legem domini. Talia sunt verba Zacharia, Habitabo in medio tui. & sub finem: Si audiendo au zac. 2. ver. 14 dieritis vocem domini, tum implebuntur hæc omnia. zach. 6. ver. 15

18 Stillabunt.) Fluent, metaphoricās, sicut oleum de fili dent. 23: ce petrae. Et omnes riui, loca fortia, nec ea multa.

19 AEgyptus & Idumæa.) Haec regiones deuastatæ sunt imperatore Nabugdonozore. Neque Aegyptus, que hodie extat, illa est antiqua.

17 Et erit Ierusalem sancta.) Sicut sanctitas que prohibita est profanis. Et alieni nō transibūt per eam. ut ultra illius habitatoribus male faciant, uti ad hunc usque diem fecerunt. Quinetiam fieri potest, ne ingrediantur exteriori Ierosolymam, quod magni facienda sit futuris temporibus sanctitas eius. Ac quemadmodum templi ingressus interdictus est vel Israeli, sic tota ciuitas erit sancta, ne in eam aditus externis cuiuscunque tandem gentis & nationis pateat. D. Kimhi

18 Et erit illo die.) Tempore illo, postquam illic gentes perierint, summa erit Israeli felicitas. Ceterum bonum, quod illis euenturum est in promptu absque labore & fatigacione, comparat montibus, qui stillant musto: & collibus, qui abundant lacte. Fluent lacte præ abundatia fluxus & destillationis abibūt lac. Attribuit autem abitionem collibus seu fluxum, etiam si lac ipsum sit quod abeat

*E* defluat. Simili tropo dixit riuos abituros aquas, tribuens abitionem alueis. Hic loquendi modus extat in Iere-  
Iere.9. ver.18 mia, Descenderunt oculi nostri lachryma. Sunt autem  
אָפִיקִים (quos riuos vertimus) valles per quas aquæ fluunt.  
Et fons de domo domini egredietur. Hoc ad lite-  
Exe.47. ram debet intelligi, quemadmodum scriptum est in Eze-  
chiele. Et irrigabit vallem Sittim. ut in Chaldaea pa-  
raphrasi, Planiciem Sittim. Vallis enim appellatur בְּנֵי,  
Ge.26. ver.19 siue aquas contineat, siue non, ut, Et foderunt pueri Isaac  
in בְּנֵי valle. Sic in scriptis doctorum nostrorum, Quæ ha-  
bitat in בְּנֵי valle. Magnificus porro doctor Saadia expo-  
nit vallem Sittim Iordanem, quod Iordanis sit in vicinia  
loci, qui vocatur Sittim, eum propterea illi iungens.

19 A Egyptus.) Egypti meminit et Idumæa, Egyp-  
ti quidem propter Ismaëlitas (qui hodie Saraceni aut  
Turcae dicuntur) Idumæa vero ob imperium Romanum.  
Haec enim nationes duas sunt, quæ potentia valent his iam  
multis annis, eruntque ad redemptionis usque tempus.  
Dan.7. ver.7 Acea est bestia quarta in Danielis visionibus. Memi-  
nit igitur Egypti propter Ismaëlitas, quoniam uxor If-  
Gen.21. ver.21 maëlis fuit Egyptia, quia dictum est, Et accepit illi ma-  
Gen.16. ver.1 ter uxorem de terra Egypti. Similiter mater eius Agar  
Egyptia. proindeque renocauit gentem hanc ad genus  
Egyptiorum. Idumæa vero propter imperium Roma-  
Esa.34. ver.1 num: et sic fecit Esaias sectione, Accedite gentes, quæ ac-  
cipi debet de excidio Romanorum, ut etiam illic exposui-  
mus. Ceterum istud dicit, quia Romanum imperium ma-  
gna ex parte Idumæorum erat, et quamquam cum illis  
commixti essent plurimi alijs populi, ut et confusio popu-  
lorum

lorum insignis est in Ismaëlitarum imperio, denominatio  
tamen sumpta est præcipua ex parte. Deinde \* Cæsar Idu-  
mæus erat, quemadmodum et reliqui Imperatores, qui ab  
eo Romæ fuerunt. Haec autem nationes duæ pessime meri-  
tæ sunt de tribubus Iuda et Beniamin. Diuturno enim  
gas oppreserunt exilio, illarumque sanguinæ, quasi aquam  
humi fuderunt. Præterea Idumæi, quibus intelligimus Ro-  
manum imperium, diruerunt templum secundum armis Septizonius pa-  
impij illius Titi, qui earum fudit sanguinem, et ipsas in cinis, quæ sunt  
exilium inter populos sparsit. De quo quidem exilio nostro oppida Italicae.  
versiculus iste dictus est, et ob id non nisi Iudæa mentio-  
nem facit. Si quidem decem tribus quas transfult Assy-  
riorum rex, et quæ non redierunt ad hunc diem, nūquam  
redactæ sunt in duarum harum gentium dominatum. In-  
nocentem. Hebr. אַיִל scribitur per נ, ut in Iona: Ne Ion.1. ver.14.  
des super nos sanguinem נִקְדָּה innocentem. quasi sit de nor-  
ma quiescentium Aleph, ut נְבִיא vates, נֶתֶן princeps. In  
terra sua. pronomen sua, tam ad filios Iuda, quam ad Eg-  
yptios et Idumæos referri potest.

20 Et Iudæa in æternum Chald. t Et quorum san-  
habitabitur, & Ierusalem guinæ vindicauit ex po-  
in generationem & gene- pulis, rursus vindicatu-  
tionem. t Et mundabo san-  
guinem eorum (quem) no-  
mundaueram, & dominus  
commorabitur in Sion.

Conclusio libri per antithesin. Egyptus peri- Auctariū.  
bit, at Iudæa sempiterna æternitate perfruetur. Nā mun-  
dabo sanguinem eorum, quem non mundaui, hoc est, ut

videtur Hieronymo, eos qui antea Tyriis Aegyptiis, & reliquis nationibus impiis fontes videbantur, insontes declarabo. Alteram expositionem Hebræi recentiores proferunt. Potest etiam interpretatio sumi è capite 25, 35, 51, & 65, Esaiæ, Fugiet dolor & gemitus, & absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Placet etiam Hebrewsum eum esse quem explicauit Chaldeus, ut Mundare hoc loco, sit vindicare & vlcisci. Vindicabo sanguinem meorum, quem hic usque impiorum libidini reliqueram, etiam si quotidie ad me conclamarēt, Quousque tandem domine non vindicas sanguinem nostrum & cetera, quæ in eam sententiam extant in Apocalypsi Iohānis. Coronis, qua vaticinium suum claudit, mira est consolationis. Dominus commorabitur in Sion, illucque perpetuò erit, nec illinc unquam, ut anteà cùm populum suum libidini impiorum permitteret, ac illi impunè ferrent, discessurus est.

R. Selomo 21 Et mundabo sanguinem eorum, non mundavi.) Etiam si purgauero eos à reliquis transgressionibus, quæ in manu eorum sunt, & à malis quæ commiserunt in me, tamen sanguinem filiorum Iuda ab eis non abstergam. Ecquādo verò istud? Tempore quo deus Opt. Max. habitabit in Sion.

Abbé Ezra 20 Et Iudæa in æternum habitabitur.) Siquidem non variauerit os domini, diuina maiestas halabit in medio eius. Ita enim clausit librum suum. Cæterum universa mala quæ intulerunt gentes Israélitis, remittet dominus neq; exiget. Miserationes enim eius supra omnia eius opera, & cruorem eorum quem fuderunt (non enim ei est redemptio) minimè mundabit.

20 Et

20 Et Iudæa.) Aegyptus & Idumea vastabuntur, nec D. Kimhi manebunt in perpetuum. at Iudæa perpetuò habitabitur.

21 Et mundabo.) Auro & argento, quod ab eis cœperant, emundabo gentes. Hæc enim etiam Israélitæ recipiēt ab illis futuris temporibus, & spolia eorum inter se diuident. At sanguine eorum quem fuderunt, non emundabo eos, sed anima pro anima dabitur, adeò ut illum aut qui fuderunt, aut posteri, luant. Nulla enim numerata pecunia animas suas redimere poterunt ab hac cæde. Ionathan coniuxit sensum tuū Sanguinem eorum cum & mundabo. Nam ita reddit: Quorum sanguinē vindicauit de populis, denuò vindicaturus sum, ait dominus qui collocauit diuinitatē suam in Sion. Et dominus cōmorabitur in Sion. Sensus eius refertur ad id quod supra dixerat, Et Iudæa in æternum habitabitur. Et dominus habitabit in Sion, In perpetuum similiter, quoniam in omnem æternitatem habitatio eius erit in Sion, ubi eō semel redierit temporibus Christi. Ita finiuit Ezechiel vaticinium Eze. 48. ve. 35. suum, Nomen urbis ab eo die, Dominus ibidem.

Deo laus, honor, & gloria.

¶ FINIS COMMENTARIO-  
rum & Chaldaæ in Ioëlem paraphrasis, quate-  
nus ab Hebreo differt, G. Genebrardo  
interprete.

